

Print. a 3.ª 1.ª 8

RAMIRUM

S I V E

HISPANIAM AB INFAMI TRIBUTO

DIVINITUS LIBERATAM

C U M

MARIA ALOYSIA BORBONIA

PLAUDENTE HISPANIA

REGINA SALUTARETUR

Es del Colegio CANEBAT *maestro del Arzobispado*

ONUPHRIUS PRAT DE SABA SAC. HISP.

Donat. del Utmo 1.º, Cinesos



FERRARIÆ



EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI POMATELLI MDCCCLXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.



P R Æ F A T I O

Pelajum præeuntem sequitur Ramirus. Duplici hoc Poemate, quantum perexiguæ ingenii vires patiebantur, profecuti sumus geminum totius Hispaniæ Patronum, utriusque beneficia canentes, quibus et stetit Gentis nostræ Sceptrum; et eadem est ab turpissimi Tributi onere liberata. Utrumque consecuta est Hispania cælesti ope omnibus, nostratibus scilicet, et Mauris manifestissima; quo certius fieret, Hispaniam sub Bmæ Virgriis Patrocinio, subque præcipua M. Jacobi Apostoli protectione esse constitutam; ardentiusque inflammarentur nostrates amore, ac religione erga Patronos suos, quorum beneficio singulari et præsentissima discrimina effugere, et libertatem, ditioisque summam sunt amplitudinem consecuti. Id ut sperare certius possemus, curavimus, quæ genti nostræ sunt magis gloriosa, ea saltem innuere, ut ab eodem patrocinio profecta. Itaque cum in Pelajo pugnas innumerabiles, victorias prope incredibiles regum nostrorum delibaverimus, quibus pristina Hispanorum gloria militaris mirifice emicuit; et Maurorum omnis in terris nostris dominatio extincta est; fecimus, ut in Ramiro appareret amplitudo ditio-

R A M I R I :

LIBER PRIMUS.



A R G U M E N T U M .

Northmannos contra borealia littora flammis
Urere conantes Princeps ab Rege Ramirus
Delectus, Classes hostiles arcet ab oris
Christiadum, ingenti multatas clade. Jacobo
Dignas dum grates persolvit, magna parari
Fata sibi discit. Mauris abolere Tributum
Turpiter oblatum ferro, belloque jubetur;
Et sperare suo plenos ex hoste triumphos.



Hesperidum Reges in fœdera sacra coactos,
Virgineumque Lupis ereptum immanibus Agmen
Inviçto sub Rege canam. Tu rebus in arctis
Addita Christiadis nostris spes altera, Jacob,
Terrifici tonitru Sobolem quem nomine dixit,
Nomina qui rebus solus, res dicere noscit
Nominibus quascumque suis; Tu fulminis æstus
Divinos affla vati: sine, munera cantu
Mæonio celebrare, quibus præ gentibus unos
10 Omnibus Hispanos vivens sermone beasti,